





44.

DISPUTATIO INAUGURALIS  
**MEDICO - PHARMACEUTICA**

SISTENS

**LAPIDEM LYDIVM  
MEDICAMENTORVM**

BONÆ NOTÆ

**REGNI ANIMALIS**

QVAM

AUCTORITATE ET CONSENSU  
GRATIOSISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ

PRÆSIDE

**CAROLO AUGUSTO  
a BERGEN**

MED. DOCT. ET PROF. PUBL. ORD. EJUSD. FAC. h.t.  
DECANO PROMOTORE AD CINERES COLENDO

**PRO GRADV DOCTORIS**

D. XXV. FEBR. MDCCXLVI.

H. L. Q. C.

PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT  
RESPONDENS

JOHANNES WILHELMUS RAMMELSBERG  
BEROLINENSIS.

---

FRANCOFURTI ad VIADRUM,  
Typis MARTINI HUBNERI.





Q. D. B. V.

\* \* \*



PRÆFATIO.

uartum jam in lucem  
progredimur, protracto  
eiusdem argumenti fi-  
lo. Uberrima rerum pertractan-  
darum materies, multiplex dis-  
centium commodum, illorum speri-  
mus

A 2

mus

mus conciliabit nobis gratiam, qui  
forsan prima fronte judicant, nos  
coetiam centies recoquere crambem.  
Supereft nimirum integrum naturae  
regnum, Animale scilicet, cuius na-  
tura ea est, ut medicamenta nobis  
suggerat, partim pretiosa, & ob pre-  
mium adulterationi perquam obno-  
xia, partim vilia, & quae ante pedes  
nostros jacent, quorum priorum in-  
tuitu omnino exactiori scrutinio o-  
pus est. Etsi vel maxime ex itera-  
tis hisce conatibus non alia nisi in  
Medicos, censoriis officinarum phar-  
maceuticarum visitationibus pera-  
gendi præpositos, redundaret utili-  
tas; profecto! & haec sufficeret, ut  
cer-

certis regulis & præceptis condendis  
incumbant, hoc quidquid est officii  
administraturi. Quem enim latet  
has visitationes eo institui fine, ut  
certi esse possimus, ægrisque non  
tam persuadeamus, quam ipsos con-  
vincamus; officinas pharmaceuti-  
cas, necessariis omnibus esse instru-  
etas, ac dexteros Pharmacopœos non  
tam suis commodis invigilare, quam  
ut famam honestam consequantur  
Quæ cum ita sint, vitio nobis nemo  
bonus vertet, cœptis hæc tenus la-  
boribus colophonem imponere.

\* \* \*

§. I.

**S**paciousissimus regni animalis campus in-  
finitas nobis sifit creaturas, quarum ta-

A 3

men

men nec centesima pars, quod rei medicæ emolumento ducimus, medicis haetenus inservit usibus. Nihilo secius cum animalium multitudo, quæ officinas exornant, pharmaceuticas, ingens adeo sit, ut ne unica classis hujus regni inveniatur, quæ non quosdam suorum incolarum in officinas mittat, ordinis servandi caussa, cognitas has classes servaturi sumus. Antequam autem id præstamus, nonnulla de medicamentis ex *Homine* seorsim, præfari juvat, quo simul innotescat, quam longe ab illorum sententia remoti simus, qui hominem brutis quadrupedibus annumerant, maluntque potius, ut in sordido simiarum vel bradypi commeatu vilescat, quam ut peculiari classe a brutis remotus servetur; imprimis cum non desint charæcteres, qui hominem a brutis quadrupedibus antropomorphis satis distinguant.

## §. 2.

Medicamenta ex *Homine* (§. 1.) desumpta sunt

sunt vel partes hominis vivi & saní, vel etiam hominis mortui & cadaveris. Priores potissimum sunt : *Lac humanum*, quod frequentissime pusillorum nutrimento infervit, saepius etiam adulorum medicamento, ut in phthisicis videre est. Bonitatis notas a colore & consistentia communiter desumptas quidam ut ETTMULLER, *Oper. Medicor. Tom. II.*  
 pag. 1163. b. rejiciunt, dicuntque sufficere pro lacte boni criterio, si nutrix fana, juvenca & robusta fuerit. At cum de internis sanitatis conditionibus non semper constet, lacte humano bono & intemerato sequentia criteria haud temere adscripseris: Quod 1) dulcedine sua superet lac quodvis brutorum; quod 2) in vase puro quiescens, cremorem crassum, pinguem, sursum ejiciat, infra manente portione tenui, subcoerulea, pellucida, quæ lac defloratum audit; quod 3) hoc lac defloratum demto primo cremore, mora nouum emittat, donec quicquid supermanet,

aquo-

aquosam indolem acquirat. Quæ nōtæ sufficiunt, ad quorumvis animalium lac examinandum. Hujus quoque loci est consideratio *sacchari lactis*, quod licet plerumque ex laetè bubulo conficiatur, sequentes integritatis notas exhibet, nimirum; si coloris pallide flavescentis, sacchari instar inflammabile est, & cum sale alcalino mixtum, aqua superfusa effervescit.

## §. 3.

Ad medicamenta ex homine referimus integra cadavera humana; Aloë, Myrrha, Asphalto, aliisque balsamicis et resinosis condita & siccata, quæ *Mumiārum* nomine veniunt. Optandum quidem foret, has Mumiās ex officinis plane exulare, cum periculum sit, plures ex istiusmodi hominibus morbis contagiosis & ipsa peste in Ægypto grassantibus mortuos esse, & fraudulentum commercium cum Mumiis arte factis innotuerit; sed cum hic pessimus mos dudum jam invaserit,

luerit, nec eradicari potuerit, nosse præstat  
notas, quibus genuina mumia a corrupta vel  
spuria dignosci poterit. Hæ autem desumun-  
tur ex substantia mumiæ fusca, ad splenden-  
tem nigredinem inclinante, sapore amaro,  
& odore fragranti, inter benzöen & ope-  
balsamum quasi medio. Adulterii autem no-  
tam constituit, si picem redolet. Porro cum  
raro integræ mumiæ in officinis, sed harum  
frusta duntaxat reperiantur, hæc sedulo ab  
arena & quisquiliis separanda sunt. Ad par-  
tes hominis mortui quoque referimus *Ustulam*  
*cranii humani*, quæ genuina habetur, si villosum  
aut crustosum superficiem exhibet, et coloris  
est ex viridi incani, saporis vero terrei et ad-  
stringentis, odoris expers.

## §. 4.

Animale regnum proprius contemplaturi,  
quoad ordinem clar. LINNÆI *System. Natur.* ma-  
ximam partem insistemus. Integrum hoc re-  
gnum perbelle dividit in sex Classes genera-

B

les,

les, scil. in classem *Quadrupedum, Avium, Amphibiorum, Piscium, Insectorum, & Vermium.* Iuxta quarum ordinem nunc non animalia solum, sed & eorum partes, quas in officinis venumdant, descripturi sumus.

## §. 5.

Classis *quadrupedum* (§. 4.) quinque habet ordines, quorum primarius sistit animalia *antropomorpha*, ut simias, cercopithecas &c. quæ cuncta, cum in medicina nullum habent usum silentio præterimus.

## §. 6.

Secundus ordo continet *Feras* scil. animalia, quæ juxta characterem sui ordinis habent dentes primores sex utrinque, intermedios longiores, omnes acutos, pedes multifidos, unguiculatos. Sub hoc itaque ordine primo se sistit loco *zibethum animal*, alias *Felis zibetica* nuncupatum, quod est species melis seu taxi, cuius genus cognoscitur ex quin-

que digitis in pedibus, et unguibus, mediis  
 digitis semper longioribus. *Hyænam odori-*  
*feram* vocant, qui veterum significatum se-  
 quuntur, quanquam si dicendum, quod res est,  
 variæ formæ feras, et inter eas, quæ collo  
 jubato sunt, quo caret Zibethum hodierno-  
 rum, intellexere. Invenitur hoc animal in  
 Africa et America meridionali, et vulgo vo-  
 catur *Zibeh - Raže*. Largitur autem sub-  
 stantiam unctuosam, albam & flavescentem,  
 odoris gravis & nauseosi, e longinquo autem  
 grati, & ad moschum accendentis, quæque  
 in peculiari sacco, in maribus intra penem  
 & testes, in foemellis intra vulvam & anum  
 sita, reperitur. Apertura hujus sacci sub cau-  
 da & ano lineam quandam similem ge-  
 nitali fœminino constituit, in fœmina æque  
 ac mare, qua illusi veteres, PLINIVS *Histor.*  
*natural. libr. 28. cap. 8.* scribit: "Hyænis utram-  
 que esse naturam & alternis annis mares, al-  
 ternis fœminas fieri. Unde etiam OVIDIUS  
*Lib. XV. Metamorphos.* canit: Al-

*Alternare vices, & quæ sit fœmina tergo*

*Passa marem nunc esse marem, miretur Hyænam.*

Quem tamen errorem ante ipsorum tempora  
jam ARISTOTELES de Generatione Animalium lib.  
6. cap. 32. dudum explosit, ut taceamus S. BO-  
CHARTVM in Hyërozoico pag. 835. alios allegare  
veteres autores, qui hanc fabulam revellunt.  
Sub hac linea, taëtu sentitur corpus ovi par-  
vi magnitudine, duriusculum, diduëta au-  
tem rima, apparent bina oblonga foramina,  
iis quæ in naribus sunt, similia; quæ ad duas  
cavitates seu loculos carnosos, granulis &  
glandulis obsitos recta ducunt, ubi sedes &  
secretio Zibethi. Hæc autem substantia mo-  
le auëta, fit animali molesta, unde quæ do-  
mestica non sunt, in sylvis, arborum truncis  
se affricando, hanc a se abstergunt. Cicu-  
ratis vero animalibus Zibethi folliculi cum  
sensu deleëtamenti auriscalpio simili instru-  
mento exinaniuntur. Notæ bonitatis in Zi-  
betho

bethō sunt: Moderata ejus liquiditas, & si papyro affricatur, ejus plenaria solutio, vt nihil remaneat. Qvod a colore desumtum est criterium incertum est, cum hic semper pro ætate magis in obscurum vergat. Purissimum sane est, qvod in aqua fervente liqvatum instar olei, totum quantum, supernatat; Cæteroquin de hoc subiecto notamus, qvod certissimum constituat aphrodisiacum, ex iis quæ modo materia medica offert.

## §. 5.

Tertius quadrupedum ordo comprehendit *Gires*, animalia scilicet, cuius dentes primores bini utrinque & pedes multifidi, huc ergo primo referimus *Hystricem*, das *Stachel-Schwein*, cuius character genericus ex corpore spinoso, & auribus, humanis similibus, desumitur. In hujus animalis vesica fellea (non vero in apris, *des sangliers*, ut vult LEMERY *Dictionnaire des Drogues* pag. 73.) aliquando succrescit calculus, sive coagulum

B 3

bili-

bilosum, rotundum, compactum, ut plurimum nucis juglandis magnitudine, leve & coloris rufi, qvod Lusitani: *Pedra di Porco*, vocant, & cujus admirandas virtutes in iectero & febribus putridis satis extollere nequit KÆMPFERUS *Amoenitat. Exotic.* pag. 393. Raritas ejus, imitatio per artes fraudulentas, tanto curatius requirit examen. Genuinus habetur lapis, qui aquæ immersus, ibidemque per horæ quadrantem relictus, eam reddit valde amaram, ita ut quo amarior fiat aqua, eo præstantior lapis sit. Qui porro est coloris hepatis parenchymati similis, saporis amarissimi, tactui lubricus, saponis instar, squamosus, nec non qvibusdam foveolis, instar cicatricum a variolis relictorum præditus, figuræ globosæ, nullis pilis intermixtus, & ab uno latere vesiculæ seu tenuissimo folio accretus, pariter genuinus & intemeratus censetur. Hystrices quidem in multis Indiae orientalis & occidentalis plagiis inveniuntur,

tur, sed non alii, quam qui in regione Malacensi degunt, hunc lapidem ferunt, quem tanti faciunt principes indigeni, ut ipsum aureis vel argenteis sphæris armari curent. Ab eodem KÆMPFERO l.c. pag. 396. describitur quoque *Pedra di Porco spuria*, qui est lapis malacensi nigrior, informis, & pilis remixtus, quicque in hystricis insulæ Ceylanæ ventriculo reperitur, & cuius præsentiam bestia, crebro ructu & vomitione prodit, cui etiam analogas licet debiliores vires adscribit. Ejusdem amaritiei tribuendum forte, quod in *Commercio Litterario Norimbergensi Anno 1731. pag. 230.* hujus lapidis tintura in defectu bilis commendetur. Hæc autem fit ex injecto lapide in spiritum salis ammoniaci, super affusis aliquot guttulis spiritus vitrioli.

## §. 8.

Quarti ordinis quadrupedia vocantur *Jumenta*, quorum ergo referimus to belluam  
Rhi-

*Rhinoceros* dictam, quæ species elephantis esse videtur, cum utriqve horum animalium communes notæ genericæ scil. mammæ binæ pectorales, et pedes quinque callis instructi, cornu e proboscide exsurgens, competitunt; hoc *cornu* quod contra epilepsiam commendatur, foris est nigrum, intus album, fissile, ultimam fere longum, grave & solidum, incurvatum, in basi crassum, in superiori vero parte acutum. Pro vero habetur unicornu veterum, illud enim quod corpore & pedibus ferinis, cornu recto, longo, & spiraliter intorto describunt, pictorum figmentum est, hinc merito ad paradoxa historiæ animalium relegatum. In officinis prostat 1) *Extractum aquosum* cornu rhinocerotis, quod debet esse coloris fusci & saporis salvi. Paratur quoque 2) *Extractum spirituosum*, quod est odoris nullius sed saporis rancidi & ingrati.

## §. 9.

Pecora omnia, quæ quinto quadrupedium ordi-

ordine continentur, hoc commune habent, quod ipsis dentes primores inferiores tantum adsint, superiores nulli, pedes vero ungulati. Hujus ordinis sunt *Cervus* et *Alce*, de quibus nihil novimus, quod mercantium fraudibus sit subiectum, utpote animalibus sub nostro cœlo viventibus. Nihilosecius, de bonitate cornuum alces et cervi notamus, quod optima sint, sponte decidua, quippe quæ semper ponderosiora, & ad præparata pharmaceutica magis eligenda. *Ossa de corde cervi* sunt ossicula fere cruciformia, longitudine dimidia minimi digiti, ex aortæ membranis induratis & ossificatis genita, quæ non solum in annosis cervis, sed etiam bovis reperiuntur. Eli- genda sunt candida, non tamen nimis alba, nec nimis magna; alias bovina se magis esse produnt. *Extracti spirituosi Ungulae Alcis* nota est omnis saporis & odoris absentia. *Ex- tractum vero aquosum*, falsedinem præfert.

**C** §. 10.

§. 10.

In genere *Caprarum*, quæ cornua sursum  
erecta & scabra gerunt, de *Hircō* ejusque im-  
primis *Sanguine exsiccato* notamus, quod minus  
bene in clibano siccatur, magis conveniat au-  
tem hunc sanguinem cum sero suo in vapo-  
ris balneo, & citra combustionem debite ex-  
siccare.

§. II.

Sub hoc caprarum genere, destituti adhuc-  
dum accurata animalis anatome, referimus  
feram *Bezoar Orientalem* gerentem, quam *Ca-*  
*priervam* vulgo, naturalis historiæ scriptores  
autem *Gazellam Indicam* vocare consueverunt,  
instructam scil. cornubus rectis, nigris, lon-  
gissimis, prope caput tantum annulatis. Quod  
ipsum etiam ex descriptione KÆMPFERI *Amœnit.*  
*Exotic. fasc. 2. pag. 398.* patet, ibidem referentis;  
"Est fera quædam montana caprini generis,  
"animal pilis brevibus, ex cinereo ruffis vesti-  
"tur, magnitudinem capræ domesticæ, ejus-  
"demque barbatum caput obtinens. Cornua  
"fœminæ nulla sunt, vel exigua ; hircus lon-  
"gio-

"giora & liberalius extensa gerit, annulis di-  
 "stincta insignioribus, quorum numeri annos  
 "ætatis referunt. - - - Reliquum corpus a cer-  
 "vina forma, colore, & agilitate nihil differt.  
 "Timidissimum & maxime fugitivum est ani-  
 "mal, inhospita asperrimorum montium tesqua  
 "incolens." Et pag. 400. addit: "Locus natalis  
 "Bezoardici lapidis est pylorus, sive produc-  
 "tor quarti, quem vocant ventriculi fundus,  
 "cujus ad latus plica quædam sive scrobicu-  
 "lus mucoso humore oblitus lapillum sugge-  
 "rit." Magnitudo horum lapidum admodum  
 variat, in annosis tamen animalibus maxi-  
 mi inveniuntur. Credunt Indi, formatos se-  
 mel lapides longiori animalis inedia iterum  
 dissolvi posse, cuius rei exemplum idem ibi-  
 dem auctor adfert. Nota legitimi lapidis  
 Bezoardici apud Indos est, si volæ manus ci-  
 nere conspersæ, vel creta oblitæ affictus li-  
 neam inducat luteam, vel ex luteo viridan-  
 tem. Idem ergo effectus subsequi debet, si

chartæ creta vel cerussa obductæ affricetur.  
 Reliquæ huc spectantes notæ sunt, quod super-  
 ficies externa sit polita, affrictione vero corpo-  
 ris duri, ex nigro viridis evadat; quod diffra-  
 ctus non uniformem substantiam, sed laminas  
 & strata, successive nata, ut calculus huma-  
 nus, ostendat; quod in meditullio lapidis sit  
 substantia compactior & durior ipsis laminis  
 quibus componitur, imo KÆMPFERUS l. c.  
 pergit : "Pro genuinis ego habeo eos, qui  
 "inter resinæ & lapidis substantiam ita ambi-  
 "gunt, ut contusi in acido nitri, vel spiritu  
 "salis dissolvantur, ac menstruum colore satis  
 "rubente, simulac virtute sua imbuant." Quod  
 ipsum in *Actis Hafnienibus Vol. V. pag. 320.* repe-  
 titum exhibuit C. KOELICHEN. His re-  
 censitis notis alii sequentem addunt: Ut lapis  
 patinæ aqua tepida plenæ per noctem immer-  
 sus & mane extractus, nec limpiditatem aquæ  
 alteraverit, nec emollitus fuerit, nec ponde-  
 re auctus, sed odoris sit ad ambram quodam-  
 modo

modo accedentis. Experimentum cum acū  
candente, quod vulgo bonitatis criteriis annu-  
merant, teste KÆMPFERO fallax est, quia sci-  
licet si adulterini lapides ex resinosa confici-  
untur massa, acum carentem admittunt, le-  
gitimi vero plerique adeo indurati sunt, ut hanc  
respuant. Auctoris certe quos in natali mon-  
te comparavit, & genuinos habuit, vix can-  
dantis acus impressionem recipiunt, sed ignis  
attactu dissiliunt. Ob charum pretium quo lapi-  
des hi constant, saepe tales, qui ex aliis anima-  
libus depromuntur, vel his deficientibus,  
plane factitii & artificiales substitui solent,  
quos CHRISTOPHORVS A COSTA tanto artifi-  
cio componi in Ormus insula scribit, ut a le-  
gitimis nisi frangantur, vix unquam discerni  
queant. Animalia vero, quæ teste KÆMPFE-  
RO succenturiatos hos Bezoardicos lapides lar-  
giuntur, sunt primo genus quoddam capri-  
num Persicum, quod a cervis nihil habet dis-  
simile, præter barbam & cornua non ramosa,  
quodque perperam a LEMERY *Dictionnaire des*

*Drogues* sub nomine animalis Bezoardici veri describitur. Hi lapides plerumque sunt lutei, rufi, & discolores, saepe tubere uno vel gemino bullati, inaequales & informes. Non minus deinde his supposititiis lapidibus adnumerat eos, qui ex variis Indiae cornigeris & capris domesticis, nec non ex simiis & porcis extrahuntur. Neque hic reticendum est, dari in insula Sumatra animal quadrupes, quod idiomate Germanico *Schwein-Hirsch* vocant, in cuius corde, lapis reperitur adeo charus & pretiosus, ut decuplo auri pondere vendatur. Ad factitios autem a KÆMPFERO l. c. pag. 395. refertur *Pedra di Cobra*, quem ajunt in serpente inveniri, sed arte secreta fabricatur a Brachmanis. Huc quoque pertinet *Lapis de Goa*, qui a Patribus Soc. Jes. in Goa urbe ex speciebus cordialibus & alexiteriis, quas Bezoar lapis verus ingreditur, componitur. Figura ipsorum est ovata, nonnunquam rotunda, color intus cinereus, extus

ni-

nigricans, splendens, aureisque maculis distin-  
ctus, nonnunquam totus deauratus. Pessimi  
sunt qui sunt ex gypso, lacca, vernice, co-  
lophonio, mediante spiritu vini commixtis. Ut  
autem factitius lapis cognoscatur, sequentes  
notæ sunt attendendæ; scilicet factitius est:  
1) Si lapis calore manus, vel aqua tepida  
emollescit. 2) Si facile ferrum candens ad-  
mittit. 3) Si sub trajectu acus carentis fu-  
mat. 4) Si aquæ injectus, gravior vel etiam  
levior fit. Falluntur autem, qui adulterati-  
onis signum invenisse existimant, si interiores  
laminæ deterioris substantiæ & coloris fuerint,  
ea enim ex diversitate alimenti disparitas pro-  
venit, dum genetrix bestia locum pastus  
mutat.

## §. 12.

*Lapis Bezoar Occidentalis* est concretum lapi-  
deum quod teste NIC. MONARDI in opere CLU-  
SII, in capræ sylvestris regni Peruviani, *Cu-*  
*guacu* dictæ, ventriculo nascitur. Lapis hic  
Orientali longe est fragilior, laxior, minus le-  
vis

vis, e multis sibi invicem impositis lamellis,  
multo crassioribus, concretus, coloris & magni-  
tudinis varii, maxime nigri, aliquando modo ci-  
nerei, modo viridescentis. Sed notari volumus  
plura alia Indiæ Occidentalis reperiri anima-  
lia in quibus tales lapides inveniuntur, qui  
omnes sub nomine Bezoar Occidentalis ad nos  
veniunt, & vili venduntur pretio. Hujus census  
deniq; videntur lapides isti magni, qui ex India  
Orientali, extracti nimirum ex quadrupedibus  
domesticis æque ac feris, ut equis, vaccis  
camelis, adferuntur, & qui rectius hippolithi,  
urolithi, camelolithi dicendi forent. Occiden-  
talium ergo optimi sunt, qui colore & magni-  
tudine lapidi Orientali Bezoardico compa-  
rari possunt.

## §. 13.

Ad caprinum genus (§. II.) merito refe-  
rimus *Damas* seu *Rupi-Capras*, Alpium Pyre-  
naicarum & Helveticarum incolas, & quidem  
ideo, quia in ipsarum ventriculo secundo glo-  
mus

mus sive pila incertæ quidem figuræ, plerumque tamen oblongæ, reperitur, quæ *Agagropila* dicitur, & in Germanorum officinis, sæpe vices lapidis bezoardici supplet. Hæ pilæ sunt levissimæ, ovi gallinacei magnitudine, duplice constantes substautia, una & quidem interiori e fibris radicum, aut filamentis & caulinulis plantarum concreta, altera exteriori, molli, quasi coreacea, interdum etiam lignosa, raro tophacea, coloris ut plurimum cinericei ex luteo obscuri vel ex pallido viridescentis. Optimæ sunt non adeo magnæ, sed tamen solidæ, non ex pilis, sed potius e fungosa, fibrosa, & foliacea substantia concretæ. Adulterinæ, quas fraudulent homines lucello nimis inhiantes efformare student, ex datis notis characteristicis facile deteguntur.

§. 14.

Incerti quidem generis, sed hujus tamen classis esse videtur *Animal Moschiferum*, quod

D

qui-

quidam scriptores naturæ mediæ inter cervi-  
num & caprinum genus esse perhibent. Vo-  
catur *Dorcas-Caprea* & reperitur in Occiden-  
talibus Tartariæ & septentrionalibus Chinæ  
provinciis, scil. sub climate miti æque ac  
rigido. Minime vero animal moschiferum  
est, quod celeberr. *DE LA PEYRONIE Mem. de*  
*l' Acad. Royal. 1731. pag. 443.* sub hoc nomine de-  
scribit, sed potius est felis Zibethica, quod  
descripta structura organi secernentis, ejus-  
que convenientia cum figuris BLASII *Anat.*  
*animal. Tab. XXI.* & organi zibethi (§. 5.) de-  
scripti; nec non materia secreta, quæ quoad  
consistentiam cum unguento pomato conve-  
nit, satis evincit, cum tanta unctuositas &  
fluida consistentia non sit in moscho. Nec ob-  
stat quod cathi zibethici anatome a MORAN-  
DO *Memoir. de l' Acad. 1728. pag. 403.* exhibeat  
folliculum zibethicum extra propendentem,  
cum loculi secernentes & secreta materies  
eiusdem fere structuræ & naturæ sint. Et  
quis

quis est, qui negat, dari posse plures species animalium Zibethicorum, quæ ex sua specie aliquam differentiam, sicuti in organo zibethum secerente, sic & in aliis corporis partibus ostendunt, quod ipsum in variis animalibus fieri posse, ovium genus satis docet, quæ quippe in Africa, quoad structuram corporis aliter formatæ sunt, quam in Europa. Huc accedit animal, *DN. DE LA PETRONIE* cultro anatomico subjectum, fuisse ex Africa, quæ felium zibethicarum ferax est, cum animal moschiferum in China & Tartaria reperiatur. Neque odor viventis hujus animalis pro moscho decernit, cum zibethum a veteribus dicatur hyæna odorifera, quæ odore suo alia animalia ad se allicit. Denique si quis attente folliculum moschi considerat, hic pilos offert, qui magis cervino, quam ulli alii animalium generi proprii sunt; et si locum natalem hujus folliculi attendimus, latet hic sub umbilico in vicinia genitalium, non vero

D 2

in-

inter anum & genitalia. Quoad notas moschi, continet hic folliculus substantiam pingueum dum recens est, sanguini vero congrumato, & siccato perfecte similem, coloris ferruginei, saporis subacris, odoris fragrantissimi, si exsiccatus est. Optimus censetur moschus, qui laminæ ignitæ impositus totus evaporat, verum si carbonis adinstar adusti quidpiam remanet, adulteratus est. Probatum habetur hoc experimentum, quoties moschus terrenis particulis, v. g. exrementis mustelæ, pane tosto, jecore hircino arefacto, pulvere radicis angelicæ, ladano, vel aliis quisquiliis adulteratur, non vero quando aliorum animalium sanguine siccato repleti sunt folliculi.

## §. 15.

Classem secundam regni animalis (§. 4.) Aves comple&tuntur, quarum tamen nullæ, quantum scimus, & quidem ex exoticis rerum officinalium catalogum augent, quare in-

te-

tegram & numerosam hanc classem intactam  
relinquere cogimur.

§. 16.

Tertiam animalium classem (§. 4.) *Amphibia* constituunt, quorum character classicus exhibet corpus vel nudum, vel squamosum, vel hirsutum, horum alia sunt *Quadrupedia*, alia *Apoda*, quæ pedibus carent. *Quadrupedibus* adnumeramus *Hippopotamum*, quod genus animalium mammae duas inguinales, & pedes quadrifidos habet. Est autem animal quadrupes magnum, bovis magnitudine & capite, ex cuius maxillis utrinque prominent tres dentes magni, recurvi, longitudine pedis dimidi. Hi *Dentes* a medicis in pleuritide & haemorrhagia fistenda commendantur. Genuini cognoscuntur ex soliditate, candore & gravitate majore quam in ebore; ex longitudine mediae ulnae, crassitie trium vel quatuor unciarum, concavitate circa basin. Inferviunt quoque ad dentes humanos artificiales

D 3

con-

conficiendos, quorum soliditatem & cando-  
rem magis referunt quam ebur.

## §. 17.

Sub eadem classe invenitur quoque *Castor* seu *Fiber*, quod est animal quadrupes & amphibi-  
um. Esse palmipedem, habere digitos quin-  
que in pedibus, & caudam planam horizon-  
talem, characterem hujus animalis genericum  
constituit. Mas & fœmina sub cute prope  
os pubis quatuor gerit sacculos pyriformes,  
invicem communicantes, qui continent sub-  
stantiam resinosa, foetidam, *Castoreum* voca-  
tam, quique sacculi falso pro testiculis hujus  
animalis habentur, ut videre est ex anatome  
ejus in *Actis Regiis Parisin. anni 1704.* relata. Cir-  
ca criteria boni & genuini castorei sequentia  
sunt observanda, scil. quod optimi sint sac-  
culi ponderosi, substantia intus contenta  
sit coloris nigri vel ex nigro brunnei, dura,  
fragilis & friabilis, odoris foetiduli, nauseosi,  
saporis exosi, acris & amari, quæque disper-  
fa

fa sit inter membranulas & fibras, veluti pin-  
guedo in membrana adiposa. Unde quoque  
OTTO CREMONENSIS notas bonitatis sequenti  
versiculo inclusit:

*Gustibus exosum, grave, Castoreum pretiosum  
Nigrum, nervosum, simul atque recens glutinosum.*

Ob frequentissimum usum defraudationi sæ-  
pe est expositum castoreum, aperiunt nempe  
obliqua et tenui incisura hos sacculos, exi-  
mendo contenta nativa, & intrudendo horum  
loco variarum rerum farraginem, v. g. san-  
guinem castoris remixtum cum gummi ammo-  
niaco, opponace, sagapeno &c. & conso-  
lidando postmodum aperturam liquata ichthy-  
ocolla. Iстiusmodи autem sacci adulterati  
superficiem habent magis unitam, & intus de-  
ficit illa substantia fibroso-membranosa, ca-  
storeum ipsum cingens, nec non nativum pon-  
dus, ut adeo nihil facilis sit, quam fraudis  
hujus detectio. Quoad præparata notamus  
opti-

optimam *Essentiam Caſorei* obtineri ſpiritu caſorei, extraēto ejusdem affuso.

## §. 18.

*Amphibia quadrupedia*, quæ ſunt corpore caudato & squamoſo, & pinnis & dentibus molaribus carent, ſub ſe comprehendunt *Lacertarum* familiam, quas inter *Scinci marini* officinarum locum habent. Ab aliis lacertarum ſpeciebus dignoſcuntur propagatione ovi-para, ſquamis coloris argentei, imprimis ſub ventre, interdum zonis transverſis coloratis, dorsum ornantibus, capite oblongo, proboscide magis acuminato, cauda curta & rotunda, pedibus quoad pollicem & digitos, humaniſimilibus. Natales ſuos habet in Nilo & mare rubro. Optimi ſunt pingues, graves & magni, probe ſiccati, & paulo recentiores polii vel abſynthii ægyptiaci ſpecie replen-tur.

## §. 19.

Inter *Amphibia apoda* (§. 17.) *Angium* gens  
nu-

numerofissima reperitur, cuius nota generica corpus exhibet apodum, teres, laeve vel squamosum. Huc ergo pertinet *Vipera* die Mutter cuius nota specifica qua ab anguibus differt, non solum consistit in eo, quod dentes in latere prominentes habeat binos, longos, magnos, incurvatos, concavos, sed & sit animal viviparum. Animal satis notum est, ut integræ ejus *spine* sicut ex Italia affruntur, non facile fraudibus sint obnoxiae, modo recentes siccatae, & graves fuerint, nec vermicibus exesæ. Interim harum spinarum pulvis in ipsis officinis quandoque adulteratur rasura cornu cervi, quæ fraudis sola infusione & coctione detegitur. De notis *Lapidis viperini*, cuius KÆMPFERVS l. c. pag. 578. mentionem facit, hic merito tacemus, cum nec officinalis, nec proprie viperæ lapis sit.

*sumis etiam (cc.) aq. aq. q. aq. b. aq. q.*  
§. 20.

Quarta classis regni animalis (§. 4.) *Pisces* omnis generis recondit, qui sunt animalia  
cor-

E

corpore apodo, pinnis instruēto, nudo, vel squamoso. In primo ordine sese sīstunt *Plagiuri*, scil. pisces qui caudam horizontalem obtinent. Hujus ordinis sunt *Trichebus*, cuius species est *Vacca marina* seu *Manatus*, quem Galli *Lamentin* vocant. Hoc animal amphibia-  
um non est, ut quidam volunt, sed pisces in-  
conditæ molis & magnitudinis, qui nec veros  
obtinet pedes, sed totidem pinnas sub peſtore  
gerit, ad natandum, et pullos uberibus appli-  
candos, aptas natas. In capite circa aures  
utrinque quatuor gerit *Lapides* animal, petro-  
fos, crustaceos, albos, ebori fere similes, qui  
proprie ossa sunt, & *Lapidum Manati* nomine  
veniunt, quique ad vesicæ & renum calcu-  
lum mire commendantur.

## §. 21.

Ad pisces plagiuros (§. 20.) referimus  
quoque *Unicornu marinuu*, quod *Monodon*, *Mo-*  
*noceros*, *Narwhal*, audit. Non autem cornu,  
sed

sed dens unicus superioris maxillæ est, a quo & dorso impenni, characterem genericum habet animal. Ob cornu figuram facilius cornu quam dentis nomen retinet. Est autem corpus candidum, teres, striatum, tornatile, durum & grave, aliquot ulnas plus minus longum, secundum longitudinem excavatum, & ad apicem perforatum, odoris & saporis nullius. Integrum ejusmodi cornu cum alio quovis osse commutari nequit, sed rasura ejus ob raritatem & pretium adulteratur ebore raso, quam fraudem qui detegere vult examinet raspata frusta, separetque ea, quæ sunt texturæ tenuioris ab iis, quæ crassiora schedia quasi repræsentant, videbitque frustula tenuiora esse specifice graviora, & ad unicornu pertinere.

## §. 22.

Ejusdem ordinis (§. 20.) est *Balenarum* ordo, quæ *Sperma* & *Priapum ceti* officinis, largiuntur. Prius est bestiarum cerebrum, quod

a pinguedine separatum, lixivio ex calce vivida & cineribus præparatur, exsiccaturque in substantiam unctuosam, albam, squamosam, teneram & mollem, quasi ex squamulis furfuraceis compositam, quæ quo candidior, pellucidior & recentior, eo melior; flavam autem & rancidam merito rejiciunt. Ejusdem piscis *Priapus* incredibilis magnitudinis est, sæpe aliquot ulnarum, & constituit substantiam carnosam, semipellucidam, quasi corneam odoris non ingrati, saporis carnibus fumo induratis æmuli.

## §. 23.

In secundo piscium ordine, qui *Chondropterygios* seu pisces pinnis cartilagineis præditos comprehendit, nobis sese sifit *Raja*, cuius familia caput depresso, & utrinque foramina bronchiorum quinque habet. Hujus ova sic dictos *mures marinos* officinarum constituunt. Sunt autem pelliculæ duplicatae, intus cavæ, e nigro fuscæ, latitudine circiter uni-

uniuersac dimidii pollicis, glabræ, striatæ, & quadrangulæ, instar pulvinaris. Cognoscuntur ex angustis & oblongis apicibus quas in quatuor angulis gerunt.

## §. 24.

Hujus quoque ordinis (§. 23.) est *Acipenser*, cuius foramen bronchiorum utrinque unicum, os edentulum, tubulatum, genericum characterem constituit. Species acipenseris est *Huso pisces*, ex cuius cute, intestinis, vesica, & cauda *Ictiocolam* in Moscovia parant. Optima censetur alba, ponderosa, solida, & facile & tota dissolubilis.

## §. 25.

Quintam regni animalis classem (§. 4.) *Insecta* sibi vindicant. Definiuntur autem quod sint animalcula, quorum corpus crusta ossea cutis loco tectum, & caput antennis instrutum est. Primus hujus classis ordo sub se comprehendit *Coleoptera*, sive *insecta*, quorum alæ elytris duobus sunt tectæ. Huc ergo referimus *Coccionellam officinarum*, *ficus indicæ* grā-

na C. B. P. 458. scil. insectum Americanum domesticum, summa cura excultum, viviparum, hexapodum, proboscide instructum, antennis simplicibus, brevissimis, corpore hæmisphærico præditum. Colligitur in opuntiæ seu ficus Indicæ, Tunæ dictæ, surculis, ubi primo sub specie vesiculæ apparet, quæ postmodum calore solis in vermiculum anthermitem, & denique in insectum parvum scarabæiforme mutatur. Suffocata hæc insecta, certa encheirefi suffocantur, & sub nomine *Coccionella* ex America advehuntur. Quæ in officinis prostant figuræ sunt prorsus irregulæris, hinc convexa, inde compressa, striis utrinque transversis notata, coloris intus punicei, extus vero atro ruffo. Optima censentur, quæ ponderosa chrysalidibus adhuc inhærent, salivamque rubro colore tingunt, coloris ex leucophæo-cinerei, rubro non nihil permixti, tritâ vero sua purpura corruscant. Ob carum pretium a defraudatione non sunt libera,

ra, nam non verosimile solum est, qnod coccionella Americana hortensis saepe commutetur cum sylvestri, quæ sponte sua arbores sylvestres depascit, sed & quod sic dictus *Coccus Polonicus* loco verae coccionellæ substituatur. Hic enim est insectum, circa radices alchymillæ supinæ gramineo folio TOVRNEF. Junio mense nascens, & quod ut in programmate de alchymilla supina Dn. Praeses, nec non clariss. DN. KLEIN, in peculiari tractatu demonstraverunt, figura & magnitudine cum coccionella vera admodum convenient. Fraus haec ratione artis tinctoriae tam noxia non est, cum certo nobis constet, coccum Polonicum dummodo eadem encheiresi exsiccati possit, ut sit in America, æque elegantem colorem esse largiturum; merito tamen ratione virtutum medicarum dubitamus, an hic coccus Polonicus verae coccionillæ sit comparandus.

## §. 26.

Eiusdem classis & ordinis sunt *Cantharides offic-*

officinarum, quarum defraudatio non occupat fraudulentos pharmacopæos, cum vili constent pretio, in transitu tamen notamus, nostrates non tantopere operari ac minores Hispanicas.

## §. 27.

Secundi ordinis insecta sunt *Angioptera*, sive quæ alis donata, sed elytris destituta sunt. Huc ergo *Apium* genus referendum, quibus pro cheraetere generico alae quatuor & cauda aculeo simplici instructa adscribuntur. Hae apes *Mel* officinis suggerunt, quod pro ratione climatis, anni temporum, & nutrimenti animalculi plus minus aestimatur. Quamcunque vero patriam agnoscat, non debet esse nimis durum & tenax, neque nimis fluidum, sed odoris suavis & facilis solutio- nis in aqua. Difficilis ergo solutio, mel impurum arguit, addita enim piforum farina quandoque adulterari solet. Optimum ha- betur *Mel Narbonense* quod ex floribus roris- ma-

marini apes colligunt, quod tamen hic rarum est, addito tamen infuso florum anthos, quodammodo mel domesticum eundem saporem acquirit.

§. 28.

De *Formicis*, vili & frequentissimo insecto, non est quod hic notatu digna producamus, nisi quod notemus *Spiritum formicarum* pro diverso gradu digestionis modo magis acidum, modo magis urinosum impetrari posse, & saporem ejus satis de præparatione testari.

§. 29.

Ad *Apetra*, sive insecta alis destituta, referimus *Cancrorum* genus, quod ex duodecim pedibus, & binis prioribus cheliformibus cognoscitur. Hujus species est *Astacus fluviatilis*, cuius lapilli in capite reperiundi, in officinis sub *Oculorum* vel *Lapidum cancrorum* nomine veniunt. In multis quidem Europæ regionibus inveniuntur astaci, sed maximus lapillorum numerus ex Polonia, Prussia, & Ucrania adfertur.

F

Tan-

Tanta ipsorum prostat quantitas, ut vix credibile videatur, omnes esse genuinos; imo cum revera creta, vel fistulis tabacariis, ve ex alia terra confectis quisquiliis adulterentur, scire convenient characteristicas notas, quibus genuini a factitiis dignoscuntur. Ergo ex vivis astacis desumti lapides ad cœruleum vergunt colorem, coeti vero albescunt, & sunt lapilli crustacei, foliati, duri, orbiculati, diversæ, non raro fabarum magnitudinis, una parte compressi, & sinuati in modum acetabuli, altera convexi & saporis terrei. Omnes hi prunis inspersi ardentibus, vaporem urinosum & fuliginosum exhalant, calcinatione vero facile exfoliantur. Factitii vero in ore masticati, neque tantam duritatem, neque tantam resiliendi vim ostendunt. Aliud etiam prostat experimentum genuinos a factitiis dignoscendi, quod in eo consistit, quod lapis cancerorum verus acido spiritui v. g. aquæ fortí injectus, fundum quidem petat, quantocius vero terrestres ejus partes dissolutæ sunt, residuæ gelatinosæ sub forma lapidis adhuc cohærentes ascendunt iterum, & supernatant, quod nunquam factitios fecisse recordamur. Ceteroquin hic notamus lapidum cancerorum & aliorum testaceorum & cretaceorum, per levigationem & lotionem præparandi methodum optimam sequentem esse, quam TH. FULLERUS *Pbar-mac.*

*mac. Extemp. Londin. 1714. pag. 06.* his verbis describit:  
 "Oculorum dieta præparatio hujusmodi est, tenuissime  
 in mortario marmoreo lævigantur, aqua desuper  
 per limpidiſſima affusa & agitata, donec aqua turbida  
 fuerit, hinc in aliud vas conjiciantur, tum nova  
 denuo affundatur, agitetur, turbidaque reddita, præ-  
 cedenti adjungatur, idque toties reiteretur, donec  
 fæces in mortario subsederint, omnisque tenuior  
 substantia cum aqua fuerit educta, quæ postea quies-  
 cere permittatur, ut in fundo remaneat oculorum  
 materia sola & sincera; tandem hæc aqua prius ef-  
 fusæ, colligenda, & supra marmor ita læviganda, ut  
 nulla asperitas lingua percipi possit, atque inde in  
 globulos formanda, siccanda, & in usum servanda.  
 In officinis quoque prostat: *Liquor chelarum ex cancri,*  
 qui debet esse coloris flavi, odoris empireumatici &  
 volatilis, in cuius superficie aliquid olei empireumatici  
 supernatat. *Extractum spirituosum chelarum* debet  
 esse coloris nigri, saporis falsi. *Solutio chelarum can-  
 cri cum spiritu vitrioli* parata, debet esse coloris albi in  
 superficie crystallos generans. *Solutio chelarum cum  
 spiritu nitri,* pariter sit albi coloris. *Solutio* denique  
*cum liquore salis alcali fixi,* paulisper slaveſcit.

## §. 30.

*Ajelli* sive *Millepedes officinarum*, *Keller*-oder *Mau-  
 er*-*Esel*, sunt *Onisci* species, scil. inſecti quod pariter  
 alis caret. Cognoscuntur ex pedibus quatuordecim,  
 utrinque septem, peripheria corporis dentata, cute  
 quasi ſquamosa, e novem articulis inæqualibus conſtan-  
 te, quibus ſeſe complicare poſſunt, nec non antennis  
 prominentibus.

## §. 31.

## §. 31.

Sub quinta scil. insectorum classe referri merentur insecta quæ sic dictum *Coccum Baplicum*, vel *Grana Kermes* constituant, quæque eandem fere, quam gallæ quercuum habent originem. & teste DN. REAUMUR *Memoires pour servir à l'histoire des Insectes Tom. IV. mem. I.* in foliis illicis coccigeræ aculeatæ, e puncturis & depositione ovulorum insecti cuiusdam nascuntur, quod ex illorum familia est, quæ Gallo. Insecta ipsi dicuntur. Grana Kermes optima censetur rubicunda, fusca, & integra.

## §. 32.

Sexta classis regni animalis recondit *Vermes*, scil. animalia, cuius corporis musculi ab una parte basi ciuidam solidæ affixæ sunt. Hanc classem *Zoophyta* scil. animalia artibus donata ingrediuntur, quorū pertinet *Sepia* genus, quod corpore oblongo, interne osse, anterius octo artibus donato, se distinguit. Hæc sepiæ in dorso robustam & latam inter spinam & os medianam substantiam, fungosam & friabilem comprehendit, quæ exempta, candida, testacea, & laevis est, supina parte duriuscula & glabra, inferne fungosa, molliſ, leviter aspera, constituitque *Os sepia officinarum*. Optima sunt alba, lœvia, integra, mediocriter magna & crassa, quorum interior substantia friabilis & fungosa in usum vocatur.

## §. 33.

Et hæc sunt, quæ in regno animali nostra animadversione digna judicavimus, quæque cum omnem apparatus quem hoc regnum officinis largitur, exhausti, faciunt quoque, ut pedem hic figamus, & huic

Dissertationi finem imponamus.



Nr. 19 als Titel nicht zu  
identifizieren!

01 A 6537


f


TA→OL

nur Stck. 12 bis her verknüpft



1002





44

DISPUTATIO INAUGURALIS  
MEDICO - PHARMACEUTICA  
SISTENS  
LAPIDEM LYDIVM  
MEDICAMENTORVM  
BONÆ NOTÆ  
REGNI ANIMALIS  
QVAM  
AUCTORITATE ET CONSENSU  
GRATIOSISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ  
PRÆSIDE  
CAROLO AUGUSTO  
A BERGEN  
MED. DOCT. ET PROF. PUBL. ORD. EJUSD. FAC. h. t.  
DECANO PROMOTORE AD CINERES COLENDO  
PRO GRADV DOCTORIS  
D. XXV. FEBR. MDCCXLVI.  
H. L. Q. C.  
PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT  
RESPONDENS  
JOHANNES WILHELMUS RAMMELSBERG  
BEROLINENSIS.

FRANCOFURTI ad VIADRUM,  
Typis MARTINI HUBNERI.